



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Itaque non sepulchrum modo, sed damnationem illi minatur. Iosephus eius mentionem non facit, periculis constat, quia post bellum Titianum non fuit.

QVÆSTIO V.

Cur dicat forte?

§. 1. **R**ece *ἐπεὶ ἔειπεν αὐτὸν*, quod noster forte vertit. Quidam aiunt illud *αὐτὸν* esse affirmantis, non dubitantis. Alii esse particulam *δοῦναι*, & perinde esse, ac si dicat, potuissent manere. Franciscus Lucas. Interpretatur ex *αὐτὸν* vertit forte, non hic tantum, sed & alias frequenter (Ioh. 5. v. 46. Psal. 80. v. 15.) id quod conuenire potest, quando particula est *δοῦναι* siue potentialis: quomodo eam hic accepisse interpretatur, ita ut forte mansissent, dixerit potuisse potuissent. Aliquando vertit, utique, (Heb. 8. v. 7.) ac videtur nonnunquam abusi forte pro utique, aduerbio dubitandi pro confirmandi, ut illo loco Psalmi, & forte. Sic etiam isto Euangelio. Aliquando denique relinquit intactam, non vertit, (Mox v. 21.) quomodo etiam alij interpretes, cum illic v. 21. tum hic v. 23.

Mihi hic ut alibi videtur loqui *αὐτὸν* *ἐπεὶ ἔειπεν αὐτὸν*, more humano, si enim interrogat quasi ignorans rem factam, & admittitur, quasi ignorans causam, cur non etiam dicat forte futurum fuisse, quod sciebat, certissimo futurum. Nec mirum Christum ita loqui. Gen. 3. 22. Deiverba sunt *וַיֹּאמֶר יְהוָה* ne forte mittat, nec tamen Deus ignorabat quid acturus esset, si in paradiso mansisset, 70 verterunt, *μὴ πῶς*.

QVÆSTIO VI.

Recte ne verbis illis probetur idem Deus noui & veteris Testamenti esse?

§. 1. **P**lane ostendit eundem Deum, & Sodomorum vindicem, & ciuitatum, quæ nunc eorundem criminum consortes sunt; idem certe eosdem iudicabit alios remissius, alios seuerius. Idem Loth eripuit & Apostolos. Ita olim 1. 4. aduersus Hæreses Irenæus. *Unum & eundem annuntians Dominum, qui in temporibus Noe propter inobedientiam hominum superinduxit diluuium, & temporibus Loth propter multitudinem peccatorum Sodomitarum pluit ignem à caelo: & in nouissimo tempore propter hanc eandem inobedientiam & similia peccata, superducat diem iudicii: in quo ait tolerabilis Sodomis & Gomorribus futurum quam illi ciuitati & domui, quæ non receperunt verbum Apostolorum eius. Et tu autem Capharnaum (dicat) nunquid vsque ad caelum exaltaberis? vsque ad inferos descenderis? Quoniam si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, mansissent vsque in hodiernum diem: verumtamen dico vobis, tolerabilis erit Sodomis in die iudicii quam vobis. Unus & idem cum semper sit verbum Dei credentibus quidem ei, fontem aque in vitam æternam dans, infructuosam tibi facit arborem arefaciens.*

V E R S V S 25.

In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terre, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

QVÆSTIO I.

Quibus Euangelium absconditur?

§. 1. **P**iphonema est, in quod Christus ex consideratione pereuntium & saluadorum prorupit. Lucas ait eum in spiritu exultasse, cum hæc diceret, nec

immediate tamen post hæc dixit, sed postquam discipuli redierunt, & retulerunt quid effecissent.

§. 2. **C**onfiteri est Deum laudare, & sapientiam, Confiteri & bonitatem prædicare, ita accipi solet Heb. *כָּפַר* Deum hada. Ita Sanctus Augustinus. Nunc ergo aduertite. laudate. Si, confiteor, Christus dixit, à quo est longe omne peccatum: non solus est peccatoris, sed etiam laudatoris. Confitemur ergo, siue laudantes Deum, siue accusantes nos ipsos. Pia est vtraque confessio, siue cum te reprehendis, qui non es sine peccato: siue cum illum laudas qui non potest habere peccatum. Et de verbis Domini in Euangelio. secundum Matth. Serm. 8. Audi ergo Dominum confitentem. Confiteor tibi, Domine, pater cæli & terre. Quid confiteor? In quo te laudo? Hæc enim confessio ut dixi laudem habet. Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quid est hoc, fratres? à contrario sensu intelligite. abscondisti hæc, inquit, à sapientibus & prudentibus: & non dixit, reuelasti ea stultis & imprudentibus: sed ait abscondisti quidem à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falso grandibus, vere autem tumentibus, opposuit non insipientes, non imprudentes, sed paruulos. Qui sunt paruuli? humiles. Ergo abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Nomine sapientum & prudentum Paruuli superbos intelligi posse ipse exposuit, cum ait reuelasti ea paruulis. ergo abscondisti non paruulis, quod est, non humilibus. Quid est non humilibus, nisi superbi? O via Domini: aut non erat aut latebat ut reuelaretur nobis. Vnde Dominus exultat: ait: quia reuelatum est paruulis. Debemus esse paruuli: nam si voluerimus esse magni, quasi sapientes & prudentes, non nobis illud reuelatur. Qui sunt magni? sapientes & prudentes, dicentes se esse sapientes stulti facti sum. Habes remedium à contrario. Si dicendo te esse sapientem, stultus factus es: dic te stultum, & sapiens eris.

§. 3. **A**bscondit mysteria, & eximiam gratiæ dona à Doctis & sapientibus & prudentibus. *σοφῶν καὶ συνετῶν*. Qui sapientes humana sapientia pollebant, rudium monita asperiebantur, hi enim *σοφοί*, & *συνετοί* dicebantur, Christi facti & doctrinam disputare, & reprehendere, quam amplecti malebant.

Paruulis, idiotis, humilibus patefecit, etiam enim inter hos docti sunt & sapientes, vocantur tamen paruuli, quia se Deo subiiciunt, & non dedignantur præceptores, habere Piscatores. Itaque *ἡμῶν* non sunt infantes, sed qui dicta audiunt, credunt.

QVÆSTIO II.

Agitne gratias quod abscondit?

§. 1. **Q**uestionem proponit Chrysostomus. Non quod illis abscondit, sed quod cum illis absconderit, paruulis reuelatit, abscondere dicitur, quia oblatum cum recipere nollent, retraxit. Deinde Christus eos excecavit, sed non infligendo cæcitatem, sed ob eorum petuaciam retrahendo lumen; Sic Euangelium absconditur, dum lucem, qua id inueniant, non accipiunt, liceat ea, qua inuenire possint, luceat. Non tamen mirum est Christum etiam idcirco laudasse Deum, quod abscondisset: nam id quod laudabile fuit, effecit, superbiæ enim & contumaciæ merita pœna fuit.

Respondens Iesus, dicitur: quia frequenter Hebræi sic sermonem inchoant. Verum hic vera est & emphatica ad cogitationes aliorum responsio. Mirum videri poterat, tam nobiles & potentes ciuitates negligi; Christus non loquitur discipulis, sed patri gratias agit, quod ignobile & ex contemptibilibus Ecclesiam collegerit. Non dedignatus etiam eos, quos vocat superbe facies populi. Cui id faciat, causa redditur. *Quia sic placuit*. Nobis id summo solatio est, quod ad regnum illud non opibus, non potentia, non scientia opus sit, sed ne egessere, ne sæculi splendore

DAVID GUTHRIE
in
Euangelio
Cui
18

Abscondit non manifestando.

Abiectione legi Deo.

splendore; cordium hic nobilitas & modestia sufficiunt. Voluit igitur Deus hoc indicare, fidem non ingeniorum, acuminis, prudentiæ, potentie munus esse, sed diuinæ misericordiæ. Non obstat humilis prudentia, non Deum timens scientia, non potentia se Deo submittere, nec adiuvat stupor, aut ignorantia, sordisque & paupertas, sed tamen ex pauperibus plures eliguntur, plures diuitum pereunt. Quia plures habent pereundi causas: & pauperes Deus peccati liari fauore elegit.

Abcondere dicitur, quod non reuelauit. Hilar. in Psal. 137. Duplicem in confessione significationem esse in plurimis locis demonstrauimus: aut peccati nostri, aut laudationis Dei. Et hoc ita esse ex Euangelicis dictis promptum est noscere. Nam cum ait Dominus: Confiteor tibi Domine pater celi & terre, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus seculi, & reuelasti ea paruulis, laudem Dei patri ob reuelata paruulis, quæ ignorata essent prudentibus constituitur: docens ideo absconsa ea esse his, qui prudentes viderentur, quia non secundum innocentiam paruulorum preceptis Euangelicis credidissent.

VERSVS 26.

Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

QUESTIO I.

Qua causa repulsa & assumptionis?

§. 1. **C**Ræcè legitur *vel* *ὁ πατήρ*, nominandi casu pro vocandi Attice. Arist. in ranis. *ὁ πατήρ ἀνελθεῖ δ' ὁ γοῖ*, *ὁ πατήρ* huc sequere. Ita aliis quoque locis, ut in quo clamamus Abba Pater. singulari autem affectu Christus hoc patris beneplacitum approbat, & laudat.

Causa Dei voluntatis non est querenda.

§. 2. Cur alii reuelat, alii non, noli querere, beneplacitum est. Itaque damnantur Pelagiani, qui gratiam aiunt dari secundum merita, vel ex præiusto bono vsu liberi arbitrii. Augustinus Serm. 48. de tempore: Facti huius equitatem, Abscondisti sapientibus, confirmat Christus, voluntatis paternæ iudicio: Vide quam terribilis sit in consiliis Dominus. Disce humilitatis exemplum, nec tenere discutas superna dispensationis consilia. Cum dixit Christus: alii reuelauit, alii non, non mox rationem aliquam reddit: sed sic Deo placitum dixit, ostendens, iniustum esse non posse, quod placuit iusto.

Paruitati datur, quod sapientia negatur.

§. 3. An electio sit ex præiustis meritis, hoc loco disputant. Multi hoc loco vtuntur, ut ostendant, electionem ad gloriam non esse ex meritis præiustis. Verum hic agitur de electione ad gratiam, seu interna vocatione, ostensione mysteriorum, cui altera illa connexa est, sed non necessario ea ratione, qua prior. Deinde in his ipsis verbis, sapientibus & paruulis ratio continetur, cur hi eligantur, isti reiciantur, quia illi superbe sapientes, iudicantesque, hi deuoti paruuli, quamquam & paruitas illa ex donante est, & sapientia ingenii, sed abusus ex vitio. Nam reuera ratio hic continetur, dandi, & non dandi, quia paruuli, & quia sapientes. Paruitas tamen ipsa, seu primum beneficium est ex sola dantis voluntate.

§. 4. Porro ea de questione alio loco disputandum erit. Iren. l. 4. aduers. hæreses; Vnum Deum Christi patrem & mundi fabricatorem probat. Rursum Dominus noster Iesus Christus eundem hunc Patrem suum confitetur in eo quod dicit. Confiteor tibi Pater, Domine celi & terre. Quem patrem volunt nos audire, hi qui sunt Pandora peruersissimi Sophiste: Vtrumne Bythum, quem semetipsi sinxerunt; an matrem eorum; an virginem? An quem Marcionita, vel ceteri adinuenerunt Deum? Quem

quidem non esse Deum, per multa demonstrauimus. An (quod est verum) fabricatorem celi & terre, quem & Propheta prædicauerunt, quem & Christus suum Patrem confitetur, quem & Lex annunciat dicens: Audi Israel, Dominus Deus tuus, vnus est.

VERSVS 27.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

QUESTIO I.

Quomodo omnia tradita?

§. 1. **N**ON alienando, sed per æternam communicationem, Ioan. 16. 15. Omnia quaecunque habet pater, mea sunt. Et si illi me contemnunt, & viam plebeculam mihi credentem, tamen & illi sub mea sunt manu, & omni sua astutia eo peruenire non possunt, ut sine me vel patrem, vel me agnoscant.

Eo igitur ita dicuntur, ne quis filium patre inferiorē suspicaretur, & ut vim habeat maiorem, quam v. 28. subiungit inuitatio, ut ad eum accedant, qui omnia a patre, à quo omnia expectare oporteat. Irenæus l. 4. omnia Christo tradita ab eo patre assenti, qui omnia creauit, non enim alius Deus mundi creator, alius Christi pater, sed vnus idemque, tradere enim ille tantum potuit, qui creauit. Tradidit autem humanitati gratiam, gloriam, Imperium, filio vel secundæ personæ improprie diuinitatem, sed generatō. Sed Irenæum audiamus. Consequenter autem & Apostolus ait. Vnus Deus (inquit) Pater, qui super omnes & in omnibus nobis. Similiter autem & Dominus. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: manifeste ab eo quia omnia fecit. Non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est & propter hoc idem est iudex viuientium & mortuorum, habens clauem David: aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Nemo enim alius poterat nec in celo, nec in terra, nec sub terra aperire paternum librum, nec videre eum, nisi agnus qui occisus est, & sanguine suo redemit nos: ab eodem qui omnia verbo fecit, & sapientia adornauit, accipiens omnium potestatem, quando verbum caro factum est, ut quemadmodum in celis principatum habuit verbum Dei, sic & in terra habet principatum: quoniam homo iustus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Principatum autem habet eorum, quæ sub terra sunt, ipse primogenitus mortuorum factus: & ut viderent omnia quemadmodum prodiximus, suum regem: & ut in carnem Domini occurrat paternæ lux, & à carne eius vita veniat in nos, & sic homo deueniat in corruptelam, circumdatus paterno lumine: & quoniam verbum, id est, Filius semper cum patre erat, per multa demonstrauimus.

§. 2. Omnia, comm. Hier. non elementa, sed hi qui per filium accessum habuerunt ad patrem. Beda quoque omnes homines, qui ad patrem accedunt, quod quidem suo modo probandum est. Nam de hominum salute præcipue agitur, nihilo tamen minus ad omnia, quæ per ipsum facta sunt, quæque per ipsum gubernantur, extendenda sunt verba. Omnia etiam à minimo puluisculo vsque ad summum angelum ei tradita sunt.

QUESTIO